

circa pascha quidam fingens se esse Balduinum quondam comitem Flandrie et imperatorem Constantinopolitanum venit in Flandriam in habitu peregrino. Multi favent ei de Flandria, nobiles et ignobiles, eo quod multa intersignia dicebat, quod esset idem Balduinus. Resistentes autem viriliter debellabat. Non multo post statuto alloquio inter ipsum et regem Francorum apud Peronam, requisitus a rege, quis ordinaverat eum in militem, et ubi fecerat homagium patri suo regi Philippo, et ubi fuerant nuptie celebrate inter ipsum et uxorem ejus, noluit respondere, petens inducias usque post prandium. Tunc aperta ejus fraude, licenciavit eum rex a toto regno suo. Ipse autem, qui cum multis pompose venerat, confusus cum paucis abcessit. Non multo vero post ab Erardo de Cassenca in quadam taberna capitur et traditur Flandrensi comitisse. Que diversis penis ipsum afficiens, ad ultimum patibulo fecit suspendi.

quidam homo venit in Flandriam sub habitu peregrino, qui se dicebat esse Balduinum quondam imperatorem Constantinopolitanum et de Grecorum carcere quasi per miraculum liberatum. Quem videntes quam plurimi de Flandria nobiles, favent ei propter aliqua intersignia que eis dicebat et dicta multa atque gesta comitis Balduini. Sed comitissa Flandrie videns quod [per eum] amitteret comitatum, regem Francie adiit, ipsum deprecans, ut suum sibi quem amittebat restitueret comitatum. Quo audito, rex illum apud Peronam convocavit et quis eum militem novum fecerat aut ubi patri suo regi Philippo homagium fecerat requisivit. Sed super hoc petens inducias, cum respondere nollet, de regno Francie infra triduum jussus est egredi. Ipse vero apud Valentianas rediens, a suis deseritur, et tandem sub specie mercatoris per Burgundiam fugiens, a quodam milite captus, comitisse [Flandrie] redditur. Quem sui diversis penis

mense Aprili venit quidam homo in Flandriam, qui dicebat se esse comitem Balduinum quondam imperatorem Constantinopolitanum et se de Grecorum carcere quasi per miraculum liberatum. Quem videntes quam plurimi multaque signa comitis Balduini quasi in eo deprehendentes, multa etiam gesta et dicta prefati comitis necnon intersignia ab eo audientes et ea veraciter cognoscentes, eum quasi dominum receperunt et comitissam Flandrie, filiam Balduini comitis, quam exosam diu habuerant, ab omni fere comitatu Flandrie protinus ejece-
runt. Illa autem quasi comitatu perduto desolata, regem Francie Ludovicum adiit, multum deprecans et plura ostendens, ut ei suum restitueret comitatum. Qui eidem acquiescens, pluribus gentibus apud Peronam adunatis, venit ibique illum qui finge-
bat se Balduinum comitem Flandrie, dato conductu, ad colloquium convocavit. Qui ibidem adveniens cum multitudine gen-